Saturnus à capite anni ad 14. uſq; diem Februarij: & item à 14. Octobris ad finem anni retrogradietur. Videbitur præterea in huius anni exordio maiuſculus. Nam circa oppoſitum augis ſuæ, ac inferiori parte epicycli ſui, contra ordinem ſignorum fertur.

Iupiter à 2. Martij ad 2. Iulij, regreſſum patietur. Rotabitur autem pro maiori parte prope augē ſuam, ratione cuius minor uidebitur, & eo plus circa finem anni, eo quòd tunc in ſuperiori parte ſui epicycli curſum perficit.

Mars hoc anno immunis erit à regreſſione, qui etiam per totum hunc annum ad oppoſitum augis ſuæ non pertinget: ſed plurimis diebus curſum circa augē ſuam perficiet. Ea de cauſa etiam minor uidebitur.

Venus à 20. Septembr. ad 30. Octobr. regredietur. Appareret etiam maioris luminis circa medium menſis Octobr. ſi non tegeretur radijs ſolaribus, eo quòd tunc deſcendet in meridiem ad oppoſitum augis, ac ad inferiorem partem ſui epicycli.

Mercurius à 4. Martij ad 27. eiuſdem, & à 30. die Iunij in 22. Iulij, & item à 23. Octobr. in 14. Nouembr regreſſionibus afficietur. Hic etiam anno iſto non magnus lumine uidebitur, quod non pertinget oppoſitum augis ſuæ, ac ſimul epicycli ſui inferiorem partem.

Emboliſmalis & biſſextilis annus M. D. XXXII.

Aureus numerus. 3.
Cyclus ſolaris. 1.
Literæ dominicales. G. F.
Indictio. 5.
Interuallum. 6. hebdomadæ. Concurrentes. 6.
Septuageſima. 28. Ianuarij.
Quadrageſima. 18. Februarij.
Paſcha. 31. Martij.
Rogationes. 5. Maij.
Aſcenſio domini. 9. Maij.
Pentecoſte. 19. Maij.
Aduentus domini. 1. Decembr.